

IADER ET ALBANVS 10. ET 11. COMITES.



Iader & Albanus quoque ex patria sua profici-  
scentes unà cum Tuiscone exules in Europam  
uenerunt, atq; Germaniam & finitimas regiones  
occuparunt. ubi cùm strenue operam nauassent,  
Tuisco ipsis Liburniam & Illyriam Italiæ proxi-  
mas regiones assignauit, quas hodie Germani Ve-  
nedicam Marchiam nominare solent. Propterea  
ab ijsdem suis conditoribus Iadera Colonia, atque  
Albanenses populi à Plinio enumerati extiterunt.  
Hos etiam postea Seruius ex Horatio, Rhetorum  
Vindelicorum partem constituit, atque ex Ama-  
zonibus, ob gentis ferociam, originem suam tra-  
xisse asseuerauit. cum tamen hi Tuisconis comites  
eos fundarint, & memoriae suæ monumenta ijs in locis reliquerunt. Beros,